



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Servulus Confess. 23. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. SERVULUS Confess.

23 Decemb.

*Quid autem vides festucam in oculo
fratris tui, trabem autem, que
in oculo tuo est, non consideras?*

Christus Luc. cap. 6.

DE hoc sancto, Encomiastes ejus Magnus
Gregorius. *fructum, ait, attulit terra bona
cum patientia erat enim Servulus, à puero; e-
gens & clinicus: siquidem paralisi adeò ejus
dissoluta ad mortem usque membra sunt, ut
sine aliorum ministerio, nec cibum sumere,
neque se movere ulla ratione posset. Eleemo-
synas, quas sub fornice ad S. Clementem R. o-
mæ habitans, acceperat, egenis communi-
cavit, mater ei cum fratre, ad omnem neces-
sitatem, dextra & sinistra fuere. Hi cum ipse
analphabetus esset, ad votum ejus coemere
sacros libros, quos prælectos sibi æger, adeò
firmâ memoriâ rapuit, ut totos mente volue-
re, & aliis recitare posset. In omni dolore,
qui assiduè torquebat, sine ullo intolerantiæ
signo, Deum laudabat: ita, cum morbi in-
crescente violentia & per vitalia grassante, se*

Cc § ad

ad extrema pervenisse persentisceret, sacros
acciri domi suæ hospites, & Psalmos prælegi
voluit, quod dum fieret, exclamans subito
æger, *Tacete, ait, tacete, Angelicum melos audio,*
cui dum arrectus auscultare videretur, anima
soluta est, odoris incomparabili fragrantia to-
tum conclave replente. Sic Servulum sem-
per patientem excepit cœlum, nunquam to-
lerantes, ah! quò recipientur. *S. Greg. hom. 25.*
in Evang.

MEDITATIO.

De vita S. Servuli.

1. **S**ervulus heroico animo duram paupertatem, &
Smorbum tulit. Nunquam questus est, imò ma-
gis pati cupiebat. Quid dicis adhæc? compara affli-
ctiones, & patientiam tuam cum afflictionibus, &
patientia ejus; pudeat te, toties conqueri, quod pau-
perem & ignobilem vitam vivas. *Christus pauper est,*
erubescamus: humilia est, erubescamus. Chryl.

2. Hic sanctus superabundabat gaudio in tribula-
tione: hilaritas vultus, sermonum suavitas, ejus argue-
bant lætitiâ. Nec mirum inflammatus amore divi-
no jugiter orabat, & laudabat Dominum. Omnis a-
maritudo dulcescit oratione, & futurorum gaudio-
rum

rum spe præsentia mala vincuntur. Unde tædio molestissimo nonnunquam exederis? Nonne ex eo, quòd oblivisceris Dei, qui solus potest te consolari?

3. Beati servuli vita clausa est morte suavi ac felici; ultimo vitæ momento nihil timet, sperat omnia: miseras ac dolores linoquit, ut incredibili gaudio, imò & gaudiorum fonte potiatur. O vos! qui lugetis, variis pressi miseriis, luctum abstergite: vitæ finis initium erit gaudiorum. Mundi hujus felices! ex voluptatum cœno in malorum oceanum transferemini, seu senex, seu juvenis fueris, dispone domui tuæ. *Nam mors senibus est in januis, juvenibus in insidiis.* Guerri.

S. NICOLAUS Miles.

24. Decembr.

Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. S. Joan. Baptist. Luc. cap. 3.

HAnc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quàm triumphos suos vendere? Nicolao nostro crede, qui cum in Bulgaros movit, Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam